

debilitat fibras, quod proprium est omnium acidorum. Si poteris fraga obtinere in tuâ patriâ in sufficienti copiâ, ea edas eâdem methodo et promitto tibi vires restitutas, et omnem tartarum in corpore solutum.

Tentavi variis modis has baccas conservare in hyeme, sed irritò labore; nec conserva, nec syropus, nec condita retinent saporem et odorem; carent enim baccæ cuticulâ, quâ alii fructus obducuntur.

Remitto plantulas à te in ultimâ epistolâ missas, quas omisi cùm ultimas meas litteras ad te darem, nescio quo stupore obrutus.

Dedi *Historiam Canis* \* eâ methodo, quâ optarem reliqua quadrupedia descripta.

Nostrates medici in eo sunt, ut dispensatorium reformetur, secundùm quod pharmacopolæ tenentur medicamenta præstare; dedi itaque dissertationem de simplicibus 1<sup>o</sup> excludendis, 2<sup>o</sup> de introduendis.

Chirurgus Schylzer apud nos fuit Archiatri titulo condecoratus à Rege, qui arte obstetriciâ excellit, et Reginae opem tulit. Hic primus chirurgus Archiater.

---

\* *Canis familiaris*. Amæn. Acad., vol. IV, 1755.